Romana Magisterij.

Stantibus &c.

Dub. *An sit locus nouo examini, & quatenus &c. An intrà, vel extrà Religionem, & cui committendum in casu &c.*

Eme, & Rme Dne. PReinsertum Dubium fuit propositum in vltima Congregatione, & forsan ob temporis angustiam non resolutum, cùm autem in hodierna reproponi contingat, enixè supplicamus, præuia reassumptione Positionis iam datæ responderi in omnibus affirmatiuè.

Quandoquidem, cùm P. Fabri Principalis noster ad Regentiæ munus, præuio rigoroso examine euectus, anno 1698. istud laudabiliter expleuerit, docendo Theologiam in Cathedris Suessanen. & Andrien. per integrum quinquennium, & ex forma Breuis Sanctiss. Domini Nostri, fuerit ad examen pro laurea Magistrali vocatus à P. Reuerendiss. Generali, vtique sequuta reprobatione, licitum esse debet à mala relatione Examinatorum suæ Religionis appellare, quod sicuti de Iure in quacumque materia indispensabiliter admittitur, ex auctoritatibus in præterita Informatione allegatis §. *Attamen*, ità etiam ex identitate rationis denegari nequit in hypothesi; quià cum ratio legis idem sit, ac mens ipsius legis, vtique casus permissus habens rationem permissionis expressam, attenditur vbi reperitur eadem ratio, *Glos. in cap.* 1. *de tempor. ordinat. Clement.* 1. *de elect.*

Non obstat, quòd versemur inter Regulares, quibus concessio noui examinis, idem esset, ac interuertere Regimen, & Regularem disciplinam destruere, & collatio graduum sit actus merè arbitrarius, ac remissus prudentiæ Superiorum; quoniam, quidquid sit de veritate propositionis in nostro casu, in quo promotio ad gradum Magisterij sumit fomentum à Breui Pontificio, discretiuè loquente de illis Religiosis, qui quinquennio Regentis munus obierint; hoc vnum est constans, quòd, dùm P. Fabri fuit ad examen vocatus, & subindè reiectus, nullo Iure denegari debet per viam appellationis admissio ad secundum examen prætextu interuersionis disciplinæ Regularis; tum quià siuè approbetur, siuè reprobetur, vtroque casu facultas Superioris remanet in robore suo, & Regularis disciplina non destruitur? Tum, & fortiùs, quia postquam d. P. Fabri fuerit per secundum examen idoneus renunciatus, adhuc remanebit in arbitrio Sac. Congregationis declarare, ipsum promouendum esse ad Gradum Magisterij, & omnem in casum satis erit Oratori ad tutamen proprij honoris adeò notabi-

liter

liter apud ſuam Religionem Maculati exoptatam reportare approbationem, quod ſupplicamus reflectere; quia ipſi prodeſt, & Reuerendiſs. Patri Generali non nocet, eiuſque Superioritas non offenditur, vt patet ad ſenſum.

At incaſſum vagamur in ratiocinijs, & ſubtilitatibus Iuris, quando habemus ex ſtylo laudabili, Religioſos ſic reprobatos fuiſſe indiſpenſabiliter admiſſos ad nouum examen, nedùm ex ordine fraternizantis Religionis Seruorum B. Mariæ in examine ad munus Regentis reiectos, *vt in noſtro præteritò Summ. num.* 2., ſed indiuidualiter ex ordine noſtræ Auguſtinianæ Religionis, quemadmodum fæliciter obtinuit P. Hyacinthus Tonti, nunc Regens in Ciuitate Piſarum, non quidem per decretum huius Sac. Congregationis, quemadmodum per errorem pro notorio ſuppoſuimus in præterita Informatione §. *Allegaſſe*, (ex quo ob temporis anguſtiam melior non ſuppeditauit notitia,) ſed per decretum alterius Sac. Congregationis ſuper ſtatu Regularium, ex cuius mandatis commiſſo examine quatuor Magiſtris in Theologia ſub aſſiſtentia R. P. D. Sacriſtæ Sanctiſs. Domini Noſtri, & P. Magiſtri Sac. Palatij Apoſtolici, illoque laudabiliter expleto, mæruit d. P. Tonti ſub die 15. Nouembris 1696. deputari in Regentem, vt latiùs notatum habetur in Codicibus dictæ Sacræ Congregationis, *præſenti Summ. num. Vnico.*

Quod ſi fuit elargitum Religioſo Baccalaureo, qui ex munere tenebatur docere dogmatica Theologica, quantò æquiùs, & Iuſtiùs indulgeri debet noſtro Principali, dudum ad regentis gradum ſub rigoroſo examine promoto, quique per quinquennium Magiſtri in Theologia pondus ſubſtinuit, & ſeptem concluſionibus Theologicis vti Magiſter Regens præfuit, in cuius laboris præmium vnicus à fundatione Religionis, in examine ad Magiſterium Iniuſtam reportauit reprobationem, caſus verè commiſerandus, & ſingularis. Ideoque noui examinis ſubleuamine dignus omninò intuetur, prout denuò enixè ſupplicat.

Quare &c.

Laurentius Ferruccius.

SVMMARIVM.

BEATISSIMO PADRE.

FRà Giacinto Tonti Agostiniano Baccilliere in Sacra Theologia humilmente espone alla Santità Vostra esser stato nella sua Religione dalla lettura di Teologia come inhabile. onde supplica la Santità Vostra à commettere alla Sac. Congregatione, che sia fatto esaminare con ogni rigore, e trouato habile sia tale dichiarato &c. Num.vnico.

Hauendo Nostro Signore fatto rescritto alla Congregatione sopra lo stato de Regolari, la medema hà ordinato à Monsignor Sacrista della Santità sua, & al P. Maestro del Sacro Palazzo, che lo faccino esaminare alla loro presenza dal P. Regente della Minerua, dal P. Lettor Palermo Minore Osseruante, dal P. Regente de'SS. Apostoli, e dal P. Lettore della Vittoria.

A di 5. Nouembre *1696*. In conformità de'commandamenti sudetti è stato esaminato il P. Baccilliere Frà Giacinto Tonti dalli sudetti Padri Regenti, alla presenza del P. Reuerendiss. Maestro del Sac. Palazzo, e mia, & è stato da medemi giudicato, non solo capace per la Regenzia della Theologia, mà anche ottimo; conforme appare dalle fedi esibite in Segretaria.

F. P. L. Vescouo di Porfirio Sacrista di N. Sig.

F. Paolo Bernardini Maestro del Sac. Palazzo.

Sacra Congregatio super statu Regularium, attentis narratis, ac visis attestationibus Examinatorum Sanctiss. D. N. benignè annuente, præsentis decreti vigore eligit, ac deputat d.P. Hyacinthum Tonti in Regentem, seù Lectorem Sac. Theologiæ, cum omnibus Iuribus, & prerogatiuis, quibus cæteri Regentes Ord. Fratrum Eremitarum S. Augustini gaudent, iuxtà constitutiones eiusdem Ordinis arbitrio tamen P. Generalis illum promouendi in aliquo Collegio ad Sac. Theologiæ lecturam exercendam, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Datum Romæ die 15. Nouembris *1696*.

Ita reperitur in Libro decretorum Sac. Congregationis super statu Regularium Anno *1696*. In quorum fidem &c. Datum Romæ hac die 8. Augusti 1703.

I. Archiepiscopus Atheniensis Secr.

Loco † Signi.

SACRA CONGREGATIONE

Episcoporum, & Regularium

Emo, & Rmo D. Card.

GABRIELLIO

Romana Magisterij.

PRO

R. P. Regente Gregorio Fabri.

CONTRA

Reuerendiss. Patrem Generalem Ordinis Eremitarum S. Augustini.

Memoriale pro reassumptione cum Summario Additionali.

Romæ, Typis Reu. Cam. Apost. 1703.
Superiorum permissu.